

Litteræ ad Cardinalem de Torres.

66

Dedimus in mandatis nuntio nostro congratationis ad
 ad sanctissimum Dominum nostrum ablegato, ut sua
 sanctitati regni nostri difficultates exponat, in quas
 illud continue bellorum calamitates coniecerant,
 unaque nostro nomine sua sanctitati supplicet, ut pro
 bello Livonio, Sueticoque nos aliquo subsidio pecuniario
 benigne adiutos velit. Probe novit Ill. v'ra, quam attrita
 sunt superioribus bellis regni nostri vires, præclarè in-
 telligit, quam exhausta publicæ, private omnibus opes,
 ac facultates, ut nisi sanctissimus Dominus noster exem-
 plo divi predecessoris sui, aliorumque magnorum Pon-
 tificum nobis opitulari velit, vehementer metuendum
 sit, ne Hæreticorum, qui in id bellum conspirarunt, po-
 tentia eò magis ad summum Catholice religionis de-
 trimentum crescat. Quare amanter ab ipsa postulamus,
 velit eo in negotio nuntium nostrum opera, et authori-
 tate sua iuvare, ac Sanctitati sue regni nostri rati-
 ones, ac difficultates exponere, eidemque supplicare, ut
 regni nostri optimè de sancta Sede Apostolica, Catholi-
 cæque religione meriti benignam, paternamque ratio-
 nem habere dignetur.

